

LXXXIII. Neuwedia Bl.

207. *Neuwedia Zollingeri*: racemo cylindraceo capitato, bracteis scariosis apice uncinatis, ovariis turbinatis ruguloso asperulis nec velutinis, sepalis tepalisque apiculatis, labello ovali aristato. Nr. 2808. (Sine loco.)

(*N. veratifolia* Bl.! racemo elongato sparsifloro, bracteis herbaceis acutis, ovariis fusiformibus velutinis, labello ligulato per axin linea carnosa carinato).

Obs. In herbario Lindleyano adest plantae quae omnino *N. Zollingeri* bene evoluta. Inflorescentia prope *Coeliae macrostachya* seu *Calanthis* cujusdam. Ovarium abrupte turbinatum; apice recurrens in rostrum. Sepala linearia, elongata (ovario inclusa collo longiora) apicibus apiculata, apiculis in carinulas excurrentibus. Tepala subbreviora. Labellum prope ejusdem rationis, convexum, pagina inferiori carinatum. — Sepala oblique inserta. Stylus apice retusus; filamenta lateralia extus decurrentia. Antherae lineares apice obtuse acutae basi cordatae; versatiles. Borneo. Lowe.